



**Quotidiana Christiani Militis Tessera**

**Stanyhurst, Guillaume**

**Coloniæ Agrippinæ, 1682**

24. Dies Julii. Qui fit nimiùm justus, ipso nimio fit injustus. S. Augustinus  
Tract. 95. in Joan.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](http://urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

alterum ab altero secernere. Ex porro, caligine nostra, vitii pro virtute, malique in locum bonis obtrudentis, fallaci specie profectum, ait Nazianzenus: ut homines in nominibus quoque aberrent, dicantque malum bonum, & bonum malum: (a) Morum, ait, constantia, & gravitati, fastus nomen imponitur: fortem, temerarium appellant: prudentem, circumspectum, iudicem: temperantem, agrestem, inhumanius: justum, asperum, & contumacem. Cum itaque, tam sint vicina vitia, & virtutes: quis non videt, cautelâ hîc opus esse? ne amplectamur pro Gratia furiam: ne bonum appetens, pro vero malo admittamus. Quàm cautè ambulat, qui incedit per vias spinis undique horrentes, ne inde cruentus redeat. D. Bernardus exponés illa verba. (b) *Sicut lilium inter spinas! Ocandens lilium! Otener & delicate flos!* increduli, & subversores sunt tecum. Vide quomodo cautè ambules inter spinas: plenus est mundus spinis: in terra sunt, in aëre sunt, in carne tua sunt: versari in his, & minime laeti; *Divina potentia est, non virtus tua.* Hîc opus fugâ, vel cautelâ: *Tutius est vere morsum fugiendo cavere;* Quàm propè serpentem procumbere virus habentem.

## 24. DIES JULII.

Qui sit nimium justus, ipso nimio fit injustus. S. Augustinas Tract. 95. in Joan.

Nihil nimis: I.  
modus ubi-  
que servan-  
dus.

**E**xpositis Prudentiae partibus, propono quædam ejus præcepta, variis acquirendis virtutibus. Primum, sit illud breve quidem

(a) Orat. 20. (b) ser. 48. in Cant.

Julius.

Tessera.

571

quidem verbis, sed plenum reconditis sensibus: *Nihil nimis.* Hoc est effatum; quod ipsa quasi Prudentia, ore magno sapientis dictasse videtur. Latè pater illius vis, & promanat ad multa, & frænos, quodam modo nobis in manu ponit, ut summâ animi æquitate omnia moderemur, nihilque nimium urgere velimus. Magnus è Græcia Poëta describit (a) Nestorem Antilocho filio prudentiæ monita suggesterentem, ut in circuli certamine potiatur victoriâ, commendatq; imprimis, ut *nimum* vites. Ita in honorato hujus vitæ circo: si nimium stringis, in metas incurris, rotisque eversis, naufragium inducis, si nimium laxes; ad Eupipum abis, & longiori circumductione volitans, linquis æmulo victoriam. Quare pro Nestore Poëtico, nos illam Ecclesiastici vocem, quasi Dei circumferamus: (b) *Noli nimius esse, ne forte offendas.* Absit à dictis, exuberans hyperbole; ab animi affectionibus, immoderatio; ab agendo, præcipitatio, à contentione, violentia, à severitate, rigor, à summo jure, injuria. Verbo: fuge *Nimum.*

II. Alioquin, & Religio definere posset in superstitionem, & constantis animi robur, in pertinaciam, & tristitia, in desperationem. Periret magnis virtutibus, suus decor; animo quies conscientiæ; tranquillitas, benefactis meritum, benefacientibus præmium. Si de rebus alienis prædicas, ne nimium attollas, ne blandus & leviculus adulator, neque deprimas, ne invidus & inimicus videare. Ama illos, quos tuâ benevolentia dignos judicabis, (ed cave *nimum*, ne in motus animi turbulentos, & infaniam rapias. In arguendo si nimium iastas, dum medicinam

adhi-

(a) *Iliad.* 23. (b) *Eccl.* 31. 20.

adhibere vis, plagiā induet graviorem, è qua stilans deindē crux in pūs vertat, subeatque in pectus, & memoriam obsideat iracundiæ seminarium, atque odii diuturni futurum. Quid Justitiæ pulchritus: quam Aristoteles cum Hespero componit, stellā omnium amabilissimā, cuius tamen conspicuus fulgor, Justitiæ splendore vincitur. Absque illa, in chaos antiquum, & fœdissimam omnium rerum confusionem, pulcherrima hæc rerum machina reciderebat; cùm velut aureā catenā cœlum terræ, Divina humanis connectat, & ordine suo contineat. Ecclesiasticus clamat: (a) *Noh esse justus multū*, velut alii vertunt, *Nimium*. Adeò illud nimium, omnium rerum venustatem devenustat, elegantiam deformat. Quare, ut sapiens, Nimium fugiens, directam Prudentiæ viam tenebris, & placido omnium rerum cursu perfunditus, dices: *Medium tenuere beati.*

III. Adagium perverustum est: *A Dorio cantu ad Phrygium ire.* Quod de his dicitur, qui in re aliqua modicritatis transiliunt septa, & ab uno extremo statim ad aliud eunt; & qui faciunt omnia ultra modum, dum nullā in reservant modum; nec intrameditii cancellos consistunt; cùm à vitæ genere modesto, & æquabili ad immoderatum degenerant, & à modestia transeunt ad intemperantiam. Moderatum enim, & grave erat genus Musicae Dorium, in citatissimum Phrygium. De hoc modo admodum appositi Petrus Abbas Cellensis: (b) *Non tam quatenus perveneris, pensare debes; quam quò pergendum, & peregrinationis meta figenda, atque trahendus funculus.* Ne tamen nimis extendas, & protendas funculum;

(a) *Ecccl. 7.17.* (b) *I. 5. ep. 3.*

Julius.

Tessera.

573

lum, cave rupturum: Melius enim est tendere, quam rumpere. Est modus in rebus: Ne quid nimis. An invideo, quia citò, & benè curris? Nequaquam; amo cursum, sed timeo defectum. Virtutes non benè colligit, qui matrem virtutum spernit: à spirpe virtutum degenerat virtus, quæ lineam temperantiae non servat. Jejuna, sed non ut palpites, & respirare vix possis; accumbe mensæ, sed non ut succumbas gulæ; impallesce charatis, sed non ut affligaris morbis; vaca precibus, sed non ut deficias viribus: incumbe in studium, sed non ut frangas cerebrum: enitere ad perfectionis fastigium, sed non postea cadas in præcipitum. Declina à dextra excessus, & à sinistra defectus: medio tutissimus ibis. Suscipe tanquam sacrum Apollinis axioma, hoc Poëma:

*Prævalet in cunctis, discreta modestia punctis.*

## 25. DIES JULII.

Remotâ Justitiâ, quid sunt Regna, nisi magna latrocinia? *Sanctus Augustinus lib. 14. de Civit.*

Justitia. I.

**P**rudentia nunquam incedit solitaria; eam, vel præcedunt, vel comitantur, vel subsequuntur aliæ virtutes. Has inter familiam dicit Justitia; quâ remotâ, nulla stare potest vel Respublica, vel privata familia. Democritus dicebat, duos esse Deos, qui res universas gubernarent. Præmitum & supplicium. Utrumque munus est Justitiae; quæ probis præmia, impiis infligit supplicia. Hoc ultimum non tantum est utile, sed necessarium. Nisi enim parentur erroribus flagia, blasphemis forcipes, perjuris equulei, hæreticis ignes, homicidis gladii, furibus